



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio VII. De Natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

nec desinere debet intro ducta anima; unde totum compositum ex ea, & materia prima simul cum quantitate ac qualitatibus suis manet cum anima in viuentem. Secus autem est de non viuentibus, in quibus vnica tantum est forma substantialis, ad cuius introductionem alia destruitur simul cum toto constituto per ipsam, ac suis accidentibus. Quod si pro eodem instanti temporis introduceretur & forma substantialis & anima, etiam in generatione viuentium fieret resolutio vsque ad materiam primam, quia forma corporeitatis introduci nequit, quin desinat esse aliquod compositum, in cuius materia illa introducarur. Sed nunquam in corruptione viuentis fit resolutio vsque ad materiam primam, quia quando moritur viuens semper manet forma corporeitatis aliquandiu post eius mortem in materia, vt patet experientia.

Possit hic commodè examinari, an totum substantiale habeat aliquam substantiam aut supposititalitatem distinctam à natura sua & singularitate; & an existentia ipsius sit realiter ab ipso distincta. Sed hæc difficultates remittendæ videbantur ad Metaphysicam, vbi de ipsa substantia, & existentia vniuersaliter tradi solet, & debet. Quare hæc sola modo sufficiant quantum ad primum librum Physicorum.

LIBER SECVNDVS

PHYSICORVM.

SICVT in priori Libro Philosophus egit de principiis intrinsicis corporum naturalium, ita in hoc agit de principiis extrinsecis, seu causis eorum, de quibus multa scitu dignissima considerabilia sunt, quorum tamen plurima ad Metaphysicam spectant, licet hic communiter tractari soleant, prius tamen quam causarum harum iniret tractationem, de ipsa natura disserere voluit.

DISPVATIO VII.

DE NATVRA.

VIA à natura habent corpora esse naturalia, ac considerationis physica, propterea in initio huius libri agit Philosophus de natura; non capitur autem hic natura, prout significat Deum, quem naturam naturantem aliqui appellant; nec prout significat vniuersitatem rerum omnium creaturarum, quo sensu Philosophus ait, naturam pendere à primo principio, & Theologi asserunt illud esse miraculum, quod totius naturæ excedit virtutem; nec prout significat inclinationem naturalem accidentalem rei, quo sensu dicitur ex hominibus vnum esse ex natura sua hilarem, alium tristem, alium liberalem; nec etiam prout significat essentiam ac quidditatem rei, vt capitur communiter, quando dicitur, quod definitio sit ratio explicans naturam rei, & quod in tribus personis diuinis sit vna natura; quia in hoc sensu Deus & Angeli & entia etiam rationis constarent natura, & essent entia naturalia, quod tamen falsum est, prout natura hic capitur, quia alias essent considerationis physica, quod nemo asserit. Accipitur ergo, vt omitram alias acceptiones eius, hic natura, prout est principium motus corporalis, qui & physicus vocatur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Natura.

Suppono dari naturam, id est principium intrinsecum motus, & quauis id à priori demonstrari non possit po-

test à posteriori exterum mobilitate, licet id tam notum sit, vt frustra in eo probando quis hæreret, & hinc Philosophus asserit, ridiculum esse naturam demonstrare velle.

CONCLUSIO

Bene definitur natura esse principium & causa motus & quietis eius, in quo est primo per se, & non per accidens. Hæc est communissima cum Philosopho hic: & patet tum ex eius explicatione, tum ex solutione obiectionum, quæ contra opponi possunt. Dicitur principium & causa, vt distinguatur ab illis, quæ non sunt nec principium nec causa; idem autem intelligitur per vtramque illam particulam, ex quibus secunda additur claritatis maioris gratia, nam alioquin alterutra sufficeret; nec definitiones debent esse sic per pauciora, quin aliqua non necessaria addi possint claritatis & elegantiae etiam gratia. Dicitur motus & quietis, vt distinguatur natura à principiis, quæ non principiant motum & quietem, vt Deus quatenus est principium Angelorum, & ipsius materiae primæ, quæ non producantur per motum alicuius subiecti, quandoquidem creantur & non habent subiecta. Dicitur eius in quo inest, id est in quo inest ipsa natura, vt distinguatur à principiis motus & quietis aliarum rerum, in quibus non inest illa principia, vt sunt causæ efficientes, quatenus mouere possunt alia corpora à seipsis. Dicitur primo, vt significetur naturam esse primum principium motus, nec præsupponere aliud principium, ratione cuius in sit rei; & per hoc excluditur potentia loco motiua, quæ est principium motus deorsum, sed non inest primo, lapidi, verbi gratia, sed inest ipsi, ratione alterius principij, nempe ratione formæ lapidis. Dicitur per se & non per accidens (per quas etiam duas particulas idem intelligitur, sed additur non per accidens etiam claritatis causa) vt excludantur principia motus accidentalia, vt grauitas.

Et si dicas, illa excludi sufficienter per præcedentem particulam primo. Respondeo id negando, possit enim aliquod principium accidentale motus competere alicui primo, id est non competere ipsi ratione alterius principij intrinsicæ, vt patet in impulsu proiectorum; ille enim impulsus est principium motus, quo projecta mouentur, & non competit ipsis projectis ratione alterius principij inexistentis ipsis projectis: aduenit enim ipsis ab extrinseco.

Dices, saltem per particulam, per se & non accidens, excluduntur principia omnia accidentalia, siue quæ primo, siue quæ secundario competunt rei: ergo frustra ponitur altera particula primo.

Respondeo negando consequentiam, quia altera illa particula adiungenda erat, vt excluderentur potentia ad motum identificata rebus mobilibus, quæ per se secundo & non per accidens, non vero per se primo competunt & inest illis.

3. Obiicies primo. Dantur multa corpora naturalia constantia natura, ac considerationis physica, quæ non habent principium motus in seipsis, vt Cælum empyreum, & elementum Terræ, quæ nunquam mouentur nec moueri possunt naturaliter. Dantur etiam alia similia corpora, quæ non habent in se principium quietis, vt cæli mobiles, qui nunquam quiescunt, nec quiescere possunt naturaliter: ergo male dicitur, quod natura sit principium motus & quietis.

Respondeo negando antecedens: nam Cælum empyreum & Terra habet principium istius motus, quo mutabatur ipsorum materia ad formam substantialem suam in instanti generationis (si tamen Cælum constet materia) & deinde habent principia motus, quo mouebatur ipsorum substantia, ad accidentia sibi connaturalia: nec necesse est, quod omne id, quod constat natura, possit moueri naturaliter motu locali, aut etiam motu successiuo: non enim intelligitur per motum positum in hac definitione motus successiuus, sed motus vt sic, abstrahens à successiuo & instantaneo, vt omitram Terram quoad quamlibet partem sui posse naturaliter moueri motu etiam locali ac alterationis ad calorem, & frigus.

Deinde, cæli immobiles licet non haberent principium quietis

Descriptio naturæ.

Omne corpus habet in se principium motus.

quietis oppositæ motui locali, quatenus non possent naturaliter quiescere ab illo motu; habent tamen principium quietis, quia quiescit materia illorum sub forma substantiali cœli; & quia quiescit ipsum cælum sub accidentibus sibi connaturalibus; nec etiam mouentur naturaliter motu illo locali magis, quam quiescerent naturaliter illo, quando intelligentia assistens, seu Deus, dīneret sic eos mouere.

Alii respondent non esse necesse, ut quælibet natura in particulari sit principium motus & quietis, sed sufficere ut sit principium alterutrum; & sensum definitionis esse, quod illud, quod est principium motus, in quocumque reperitur motus, & illud etiam quod est principium quietis, in quocumque reperitur quies sit natura. Quæ explicatio ad mitti posset ut bona, si daretur aliquod, quod esset principium vnius ex illis tantum, quod tamen non credo dari, vnde sistendum in prima responsione.

4. *Obiicitur secundo.* Motus & quies opponuntur priuatiue: ergo idem nequit esse principium vtriusque, & consequenter male dicitur natura esse principium vtriusque. Probatur consequentia, quia eo ipso, quo aliquid est naturalis alicui, eius negatio & priuatio nequit ipsi esse naturale; sed debet ipsi esse violenta: ergo eo ipso, quo aliquid est principium naturale motus, sic ut motus debeat ipsi esse naturalis, non potest esse principium quietis, sic ut quies debeat ipsi esse naturalis.

Confirmatur, quia priuatio est nihil: ergo non potest habere principium, & consequenter, quandoquidem quies sit priuatio motus, natura nequit esse principium eius.

Pro solutione aduertendum, quietem posse capi dupliciter, vno modo pro negatione seu priuatione motus; alio modo pro perseverantia sub aliqua forma seu vniōe ad formam cum respectu ad esse præcedens ipsius formæ in illo subiecto. Hoc supposito,

Respondetur communiter distinguendo antecedens: si capiatur quies primo modo, conceditur, sed sic non capitur in definitione naturæ; si capiatur secundo modo, negatur antecedens: sic autem capitur in definitione naturæ.

Sed contra, quia licet quies in definitione naturæ non capiatur pro priuatione, sed pro illa perseverantia sub forma, tamen certum est quod illa perseverantia affertur secum negationem, aut priuationem motus: neque enim quies etiam in illa acceptione, potest esse simul cum motu; vnde adhuc videtur manere difficultas argumenti, quia idem non potest esse principium naturale & motus eius, ad quod sequitur negatio motus magis quam possit esse principium motus & negationis motus: est enim eadem ratio.

5. *Respondetur ergo aliter* negando consequentiam: sicut enim materia est principium naturaliter receptiuum formæ substantialis ligni, verbi gratia, & etiam formæ substantialis ignis, ad quam sequitur negatio seu priuatio formæ ligni; ita bene potest natura esse principium naturale & motus & quietis, quæ sit negatio motus, aut ad quam sequitur talis negatio. Ratio autem, cur possit natura esse principium naturale vtriusque, est quod motus sit via & medium ad quietem, & qui inclinatur naturaliter ad finem, debet etiam naturaliter inclinari ad medium, sine quo nequit haberi, quamuis non possit simul consistere medium cum fine. Vnde ad probationem consequentiæ distinguo antecedens: si illa negatio non sequatur illud, quod etiam est naturale ipsi, transeat; si sequatur, nego antecedens & consequentiam.

Ad confirmationem respondeo primo negando quietem, cuius natura dicitur principium, esse priuationem: est enim perseverantia, ut dixi, sub forma.

Respondetur secundo negando consequentiam: potest enim nihil habere principium, ratione cuius competat naturaliter subiecto, licet non possit habere principium quod influat realiter & positivè in ipsum; nam certe negatio caloris conuenit naturaliter aquæ, quia est iuxta inclinationem eius, & ratio cur est iuxta inclinationem eius est, quia constituitur per formam, quæ exigit connaturaliter frigus, & abhorret à calore.

6. *Obiicitur tertio.* Cælum constaret natura, quamuis non constaret materia & forma, sed esset substantia corporea simplex; sed non constaret aliquo, cui compereret prædicta definitio, neque esset aliquid in ipso per se primo comperens ipsi, quod esset principium motus & quietis, quandoquidem non includeret partes physicas realiter distinctas: ergo mala est prædicta definitio naturæ, quandoquidem non adæquaret definito ex hypothesi antecedentis.

Respondetur negando minorem, quia constaret essentia sua, quæ includeretur in ipso conclusione metaphysica, quod sufficit.

Dices: hinc sequeretur quod non sola materia & forma essent natura. *Respondetur* concedendo totum, de quo postea.

Dices secundo, sequeretur quod Angelus constaret natura; atque adeo, quod esset considerationis physica, quia constaret essentia sua, quæ etiam esset principium primum motuum quibus naturaliter moueretur ad multas qualitates, ad quas dicit inclinationem.

Respondetur negando sequelam: ad cuius probationem dico, quod Angelus non sit mobilis motu corporeo; nec consequenter essentia ipsius potest habere rationem naturæ, prout hic definitur, quia definitur esse principium motus corporei ac quietis corporeæ. Per hæc manet explicata sufficienter definitio naturæ à Philosopho tradita, excepto ly *Principium* de quo est aliqua controuersia; quam sequenti questione resoluiam.

Quæres, an hæc definitio naturæ sit essentialis.

Respondetur breuiter, quia res est parui momenti: si capiamus ly *Principium* formaliter prout dicit respectum siue actiualem siue aptitudinalem, definitionem non esse essentialem, quia neuter ex illis respectibus est de essentia rei, quæ est Natura, verbi gratia, materia, aut forma. Si verò capiatur principium fundamentaliter, prout significat formalitatem positiuam absolutam, ratione cuius sequitur illi respectus ad entitatem rei quæ est natura, potest concedi quod definitio sit essentialis. Et sanè prorsus perinde est, quo modo ex his capiatur ly *Principium* & causa, nec in re est vlla difficultas de hac definitione seu descriptione magis, quam de aliis similibus, quibus describuntur res absolutæ per ordinem ad suos effectus.

QVÆSTIO II.

An Natura sit principium actiuum motus & quietis an verò passiuum, vel vtrumque.

Prima sententia est, quando dicitur in definitione Naturæ, quod sit principium Motus, id intelligendum de principio actiuo, non de passiuo; ita, ut si sit aliquid, quod moueretur passiuè & haberet principium quod sic moueretur, non tamen moueret se actiuè, nec haberet principium sic se monendi, illud non constaret natura. Hanc tenet *Valles. contr. 11. & Vasquez 1. 2. disp. 25. cap. 3.*

Secunda sententia asserit per ly *principium* in definitione Naturæ intelligi solum principium passiuum ita, ut si esset aliquid, quod haberet principium passiuum motus naturalis, & non haberet actiuum, adhuc eo ipso constaret natura; & si haberet etiam principium actiuum simul cum passiuo, motus non deberet dici naturalis seu procedens à natura, quatenus procederet à principio actiuo, sed præcisè quatenus procederet à passiuo; vnde per accidens se haberet illud principium actiuum ad illum motum, quatenus naturalis est. Hanc tenent *Scotistæ* magis communiter *Doct. 2. d. 2. q. 10. n. 8. & dist. 18. n. 4. & 4. d. 43. q. 4. n. 2. & 3.* ac nominatim *Faber theorema. 33. c. 1. Fuentès hic quæst. 2. difficul. 2. a. 2. Sghemma disgressionis 8.*

Tertia sententia est quod Natura non definitur esse nec principium actiuum motus præcisè, nec passiuum; sed abstrahendo ab vtroque & comprehendendo vtrumque sic, ut & illud quod habet principium naturale passiuum motus, quamuis non haberet actiuum, debeat dici constare natura; & illud etiam, quod habet principium actiuum

actuum ipsius, quamvis nō haberet passuum, aut quamvis non consideraretur vt haberet passuum. Ita Recentiores communiter & nominatim *Ruinius hic cap. 1. quest. 9. sect. 4.* In quam sententiam ex nostris inclinatur *Mastrij*, qui concedit Naturam secundum physicam considerationem esse principaliter principium passuum, sed etiam esse principium actuum immanens minus principaliter & cum dependentia à principio passiuo, quo sensu explicat sententiam *Scoti*; quem etiam pro se citat in quaestione prima prologi n. 25.

Multipli-
citer po-
test dici
principiū
motus na-
turale.

8. Vt resoluatur hæc difficultas, quæ meo iudicio magna parte est de nomine ac mente Philosophi, ac valde parum habet de re, vt propterea non tanti faciendi sit; Aduertendum est principium motus posse dici naturale multipliciter primo, quatenus opponitur supernaturali sic, vt omne illud, quod est principium motus, & non est supernaturale principium, debeat dici principium naturale motus, & in hoc sensu quodcumque, quod haberet principium intrinsecum essentialiter sibi competēs, quo mouere se posset, etiam motu violento ac libero, haberet principium naturale motus, & si nomen naturæ esset impositum ad significandum huiusmodi principium, negari non posset, quin principium actuum motus quo moueretur illud ipsum, in quo inexistere illud principium, esset Natura.

Secundo principium naturale motus capi potest, prout naturale opponitur libero, & in hoc sensu quidquid potest se mouere, sed non habet libertatem mouendi & non mouendi se, sed determinatur ad se mouendum, sicut graue determinatur ad motum deorsum, & aqua ad producendum in se frigus, & intellectus ad intelligendum, habet principium naturale motus; & si nomen Naturæ esset impositum ad significandum tale principium, omne tale, quæ tale, esset natura & solum principium liberum, verbi gratia voluntas, non esset natura.

Quomodo
capitur
natura à
Philoso-
pho.

Tertio Principium naturale potest capi pro illo principio, à quo habet motus esse naturalis, prout motus naturalis opponitur violento & motui neutri, qui scilicet non sit nec naturalis nec violentus, si detur talis, de quo alias, & in hoc sensu capitur natura & principium naturale motus à Philosopho secundum Doctores communiter, & id negare esset excitare quaestionem de nomine, in qua semper melior pars est, quæ magis est communis, nisi adsit aliquod vrgens fundamentum, ex quo suaderi posset Auctores communioris sententiæ fuisse deceptos in acceptione nominis, quale fundamentum in proposito nostro non occurrat, vnde standum est in hac tertia acceptione, quæ etiam suaderetur vltius, quia non capitur hic natura in primo sensu; quia alias quod haberet solum principium motus violenti, constaret natura, modo non esset agens supernaturale, quod est absurdum; nec etiam capitur in secundo sensu; quia alias homo, vt moueret se libere, non constaret natura, nec esset considerationis physica tam bene, quam vt moueret se necessario, quod etiam est absurdum. Itaque capitur hic à Philosopho natura, quatenus est tale principium motus, per ordinem ad quod potest colligi, quod motus sit naturalis, vt opponitur motui violento ac neutri, quæ est tertia acceptione motus naturalis: & in hoc sensu examinanda est præsens quaestio.

CONCLUSIO

Natura
cum prin-
cipium
passuum
solummo-
do.

9. Solum principium passuum motus & quietis est natura prout definitur hic à Philosopho. Hæc est iuxta secundam sententiam contra alias duas, & tam clarè asseritur à Doctore vt mirum sit ab vilo Scotista de eius mente dubitari posse: dicit enim expressè in 2. d. 2 q. 10. numero 9. Motus non est naturalis in se ex hoc quod habet (scilicet res mota) principium actuum in se, sed solum ex hoc quod mobile habet principium intrinsecum passuum naturalis inclinationis ad motum, quod patet per definitionem naturæ secundo Physicorum; quod etiam probat ibidem; & postea subiungit: Ita quod licet hic sicut in multis aliis principium actuum sit principium mouendi, non tamen propter illud principium actuum mouetur naturaliter, sed propter principium passuum, propter quod sic mouetur: quam doctrinam

etiam vltius deducit ex Philosopho. Nec sufficit responsio *Mastrij*, quod *Scotus* loquatur de principio, quod principaliter & independenter ab alio principio sit natura, quale est principium passuum, cum quo posset stare, quod principium etiam actuum esset natura, minus tamen principaliter ac independenter ab alio principio. Hæc inquam responsio non sufficit, tum quia *Scotus* absolute & simpliciter excludit principium actuum à ratione naturæ, & gratis explicatur cum restrictione illa *Mastrij*, tum quia reuera nullo modo habet motus esse naturalis à principio actiuo, vt statim patebit. Ad locum autem *Scoti*, quem ipse pro se attulit, respondebitur postea.

Probari solet Conclusio auctoritate Philosophi hic text. 61. dicentis mouentia mota esse considerationis physica, mouentia verò non mota non esse: quia, inquit, (& in hoc consistit tota vis huius loci) mouentia non mota non habent principium motus in seipsis, mouentia verò mota habent: Sed certum est quod mouentia non mota habent principium actuum motus in seipsis & quod solum deficiat ipsis principium passuum: ergo signum est quod principium passuum solum sit illud, ratione cuius res sunt considerationis physica, & consequenter, quod illud principium solum sit natura.

Ego tamen non multum innitior huic auctoritati: quia facile video responderi posse dicendo, quod non propterea mouentia non mota non sint considerationis physica, quia non habent principium motus in seipsis quomodocumque, sed quia principium motus non habent quo ipsamet moueantur, nec passuum nec actuum, quod si haberent principium actiuum motus, quo ipsamet moueantur, etiam ex hoc capite possent esse considerationis physica, quantum ad illam auctoritatem, si sola verba spectentur.

10. Probat ergo conclusio ratione, quia, vt supra aduertitur, natura accipitur à Philosopho pro principio talis motus solummodo, à quo principio motus habet esse naturalis, prout motus naturalis opponitur motui violento & neutri, ita scilicet, vt per ordinem ad illud principium possit colligi, quod motus sit sic naturalis, vt omnes concedunt; sed solum principium passuum est huiusmodi principium, & nequaquam principium actuum habet talem rationem: ergo solum principium passuum est natura, Probat minor, quia eo ipso quo corpus haberet inclinationem naturalem ad motum & quierem, quamvis nullo modo haberet principium actuum respectu talis motus aut quieris, motus esset ipsi naturalis, & quamvis haberet principium actuum, si non haberet talem inclinationem ad motum, motus non esset ipsi naturalis: ergo solum principium passuum est illud, à quo habet motus esse naturalis, seu per ordinem ad quod colligitur motus esse naturalis. Probat antecedens pro prima parte, quia aqua mouetur naturaliter ad frigus, siue frigus producatur ab ipsa aqua, siue producatur ab extrinseco, quia frigus est secundum inclinationem ipsius: ergo sola inclinatio mobilis ad motum absque principio actiuo sufficit ad naturalitatem motus, prout motus naturalis opponitur motui violento, & neutro.

Confirmatur hoc, quia secundum Aduersarios plurimos Aqua non potest mouere se ad frigus; nec graue ad motum deorsum, quia idem non potest mouere seipsum: sed mouentur his motibus à genere vel alia aliqua causa; & tamen motus illi sunt ipsi naturales: ergo motus potest esse naturalis per ordinem ad solum principium passuum, intelligo enim cum omnibus per principium passuum naturale hic, principium receptiuum cum inclinatione. Probat antecedens quoad secundam partem, quia quando homo mouet se actiue sursum, ille motus non est ipsi naturalis & tamen habet principium intrinsecum actuum istius motus: ergo non sufficit ad naturalitatem motus; quod sit à principio actiuo intrinseco.

Confirmatur hoc, quia quamvis aliquis cognoscat aliquod corpus mouere se, potest adhuc dubitare, an motus ille sit naturalis, an vero violentus vel neuter, quia potest dubitare an aliquis posset se mouere violenter aut naturaliter; nec potest scire an motus sit naturalis, nisi recurrendo ad principium passuum ac inclinationem mobilis: ergo motus non habet esse naturalis per ordinem ad principium actuum

actiuum, sed præcisè per ordinem ad principium passiuum.

Dices colligi benè quod Aqua habeat inclinationem ad frigus ex eo, quod reducat se ad frigus; ergo potest etiam colligi, quod motus ille sit naturalis ex eo, quod proueniat à principio actiuo intrinseco & essentiali aquæ.

Respondeo primo distinguendo consequens: mediâtè, quatenus scilicet inde colligitur, quod insit aquæ principium passiuum naturale talis motus, transeat; immediate, negatur.

Respondeo secundo negando antecedens in sensu præciso: nam alias idem non posset mouere se actiuè motu violento, cuius oppositum pater in homine mouente se sursum. Itaque non ex illo capite præcisè colligitur adesse in mobili inclinationem ad motum illum, sed ex eo quod videamus per frigus conservari aquam, & per calorem eam disponi ad corruptionem; & deinde coniectura probabilis est, quod non haberet virtutem ita determinatam ad frigus magis, quam ad calorem, nisi haberet inclinationem: unde non ex actiuitate præcisè colligitur inclinatio, sed ex actiuitate determinata.

Quod si quis vellet dicere Naturam esse quodcumque principium, per ordinem ad quod potest colligi quomodocumque motus esse naturalis, siue mediâtè siue immediâtè id colligitur, potest dicere principium actiuum determinatum ad vnâ formam aut plures independentem à libertate, esse naturam, & hoc non esset contra conclusionem, quia loquimur de natura, prout est principium per ordinem ad quod solum sine alio principio posset colligi motus esse naturalis, & in hoc sensu satis probata manet.

Et confirmatur alterius; quia illud principium non est natura, quod per accidens inest mobili in ordine ad hoc, quod motus sit naturalis, vt patet ex definitione naturæ, quæ dicitur inesse per se mobili & non per accidens: sed principium actiuum est tale: ergo non est natura. Probat minor, quia illud inest per accidens in ordine ad naturalitatem motus, quo non posito adhuc haberetur naturalitas motus, sed non posito principio actiuo intrinseco in mobili, posito verò solo principio passiuo cum inclinatione, motus esset omnino naturalis: ergo per accidens inest principium actiuum mobili in ordine ad naturalitatem motus. Et per hoc patet falsum esse, quod dicit *Auerſa*, scilicet principium actiuum non excludi à ratione naturæ per vllam particulam positam in definitione naturæ: excluditur enim per illam particulam *non per accidens*, nec refert quod principium actiuum esset essentialè mobili non minus quam passiuum, quantum ad entitatem & physicam suam constitutionem; quia deberet inesse ipsi per se in ordine ad naturalitatem motus.

12. Obiicies primo, Philosophus hic cap. 2. distinguit naturalia ab artificialibus, quod hæc non habeant principium sui motus in se, illa verò sic: sed hoc non esset verum de principio passiuo: vtrumque enim habet principium passiuum in se: ergo Philosophus intelligit per principium motus, quod est natura, principium actiuum.

Confirmatur: quia propterea excludit Medicinam à ratione Naturæ, quia per accidens inest homini, qui sanatur, non verò quia est principium actiuum: ergo secundum ipsum principium actiuum est natura: alias male excluderet Medicinam Philosophus per hoc quod est principium actiuum.

Respondeo distinguendo minorem, non est verum de principio passiuo naturali, per ordinem ad quod motus dicitur naturalis & non violentus nec neuter, nego minorem cum sua probatione: artificialia enim, qua talia, non habent principium intrinsecum passiuum tale: de principio intrinseco passiuo, abstrahendo à tali ratione particulari, concedo minorem cum probatione, & nego consequentiam.

Ad confirmationem respondeo primo negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod sufficiebat Philosopho excludere Medicinam ex vno capite à ratione Naturæ, nec erat necesse vt ex omnibus capitibus,

bus, quibus excludi posset, excluderet ipsam.

Respondeo secundo negando antecedens pro secunda parte, quia eo ipso quo excludit illam ex eo, quod insit per accidens, excludit illam quatenus est principium actiuum; nam, vt dixi, principium actiuum, qua tale, inest per accidens in ordine ad naturalitatem motus.

13. Obiicies secundo: Sequeretur formam non esse naturam contra Philosophum, qui dicit illam esse magis naturam quam materia. Probat sequela, quia est principium actiuum tantum, & quatenus tale vocatur à Philosopho natura.

Respondeo negando sequelam cum sua probatione, quoad vtramque partem: neque enim forma habet solummodo esse principium actiuum; est enim ratio, cur compositum habeat inclinationem ad recipiendas aliquas qualitates potius quam alias, verbi gratia, si quærat à quo principio physico habet aqua inclinari ad frigus & non ad calorem, sine dubio recurendum est ad formam aquæ, nam materia ipsius est æquè indifferens ad calorem ac frigus; unde non potest esse principium, cur aqua exigit frigus: in hoc ergo sensu forma est principium passiuum & propter hanc rationem vocatur à Philosopho natura, & non ex eo, quod sit principium actiuum.

14. Dices: quatenus motus aquæ ad frigus prouenit à forma aquæ actiue, seu quatenus illa forma est principium, cur aqua habeat virtutem mouendi se ad frigus, ille motus est naturalis; & non solum est naturalis, prout motus naturalis opponitur motui supernaturali & motui libero; sed etiam prout opponitur motui violento & neutri, neque enim ille motus est violentus aut neuter, sicut non est supernaturalis, nec liber: ergo forma, etiam vt est principium actiuum motus, est natura; est enim natura secundum omnem considerationem, secundum quam habet motus ab ipsa procedens esse naturalis, prout motus naturalis opponitur motui violento, vt omnes fatentur.

Respondeo negando antecedens pro secunda parte, nempe quod ille motus habeat esse naturalis, vt opponitur motus naturalis motui violento & neutri, quatenus procedit à forma effectiue; ad probationem autem illius partis dico, quod quamuis omnis motus realis à parte rei realiter debeat esse vel naturalis, vt motus naturalis opponitur motui violento & neutro, vel violentus, vel neuter, tamen non debet esse talis secundum omnem considerationem repectam in illo; unde quamuis ille motus aquæ ad frigus sit reuera naturalis à parte rei, quia non est violentus nec neuter, tamen non est naturalis in illo sensu, vt procedit à forma, tanquam à principio actiuo, quamuis vt sic etiam non sit violentus nec neuter: & quemadmodum omnis motus à parte rei debet esse vel liber, vel necessarius, vt tamen debet esse, vel liber determinate, vel necessarius, vt est secundum inclinationem subiecti: quia ab inclinatione subiecti non habet alterutrum ex his rationibus, sed à principio actiuo, quatenus est indifferens ad eum ponendum vel non ponendum: ita quamuis omnis motus debeat esse vel naturalis, vel violentus, vel neuter, tamen non debet habere vllam ex his rationibus, quatenus procedit à principio actiuo vt actiuo, quia ab illo neutram ex his rationibus habet; sed ab inclinatione subiecti, vel auersione, vel negatione inclinationis ac auersionis: sicut ergo abstrahit motus, vt est secundum inclinationem subiecti, à libertate & necessitate: ita, vt procedit à principio actiuo, abstrahit à naturalitate, violentia ac neutralitate.

15. Obiicies tertio ex *Maſtrio*: non minus naturale est igni debite applicato calefacere, & aquæ reducere se ad frigus, quam graui descendere deorsum, nec magis violentaretur graue, si impederetur à descensu, quam ignis si impederetur à calefaciendo subiectum capax debite applicatum, aut aqua, si impederetur à frigefaciendo se actiue: ergo quemadmodum motus grauis deorsum est ipsi naturalis, ita etiam calefactio est naturalis igni, & frigefactio aquæ, etiam prout motus naturalis opponitur motui violento: sed calefactio conuenit igni & frigefactio sui aquæ: quatenus sunt actiue: ergo principium actiuum, qua tale, est natura. Probatur consequentia, quia illud principium

Forma est principium passiuum motus.

est natura, à quo habet motus esse naturalis pro ut motus naturalis opponitur violento ac neutri: ergo, si calefactio conuenit naturaliter igni tanquam principio actiuo adeo, ut nisi conueniret ipsi, violentaretur, principium actiuum ut sic, est verè natura.

Hoc est potissimum Maltij fundamentum recedendi à communiori Scotistarum & fule ab ipso proponitur ac stabilitur. *Sed facite responderetur* concedendo quod calefactio actiua igni & frigeactio actiua conueniat aquæ naturaliter sic, ut violentaretur saltem priuatiue, ut ait Maltius, si impediretur ab istis actionibus, eo quod illæ actiones conueniant illis ut sunt actiua: sed nego consequentiam, quod scilicet inde sequatur principium actiuum, quia tale, esse naturam, prout natura definita est à Philosopho. Ad cuius probationem dico, quod illud quidem sit natura, à quo habet motus, quo mouetur mobile esse naturalis ipsi mobili & non esse ipsi violentus nec neuter, calefactio autem quo calefacit Ignis non est motus, quo mouetur ipse ignis; unde principium, ratione cuius competit Igni, non debet esse natura. Similiter frigeactio actiua non est motus, quo mouetur aqua, sed calefactio passiuæ, & propterea principium actiuum, ratione cuius competit ipsi calefactio actiua, non potest esse natura, prout natura definitur à Philosopho: & sane si calefactio, qua ignis calefacit alia subiecta, esset naturalis, hoc est proueniens à natura, prout natura describitur à Philosopho, male negaret Philosophus mouentia non mota esse considerationis physica: nam ignis ut calefaciens alia subiecta est mouens non motum.

Responderi potest secundo negando calefactionem actiuam, aut frigeactionem esse motus naturales igni, aut aquæ, prout motus naturalis opponitur violento, sed sunt naturales ipsis prout motus naturalis opponitur motibus supernaturalibus & motibus liberis; nec refert quod si impedirentur ab ipsis, essent in statu violento priuatiui, quatenus scilicet non haberent aliquid, quod connaturaliter exigerent, quia hinc non sequitur, quod istæ actiones sint motus naturales, prout motus naturalis opponitur violento, quia reuera non sunt motus, cum non sint actus mobilis, sed potius mouentis.

16. *Obiicies quarto* ex eodem Maltio plures auctoritates Philosophi, quibus significat principium actiuum etiam esse naturam: sed Responderetur breuiter ad omnes generaliter, Philosophum non vno modo & sensu semper capere naturam, sed aliquando in vno sensu, aliquando in alio, ut ex secundo Physicorum capite secundo patet. Quando ergo vocat principium actiuum naturam, non capit naturam, prout ipsa definitur principium motus & quietis, sed quatenus significat principium actiuum naturaliter prout natura distinguitur ab arte aut proposito, quas duas naturæ acceptiones aduertit Scotus questione prologi num. 25.

Obiicies quinto ex eodem: Scotus illa ipsa questione prologi eodem num. 25. admittit principium actiuum esse naturam, prout natura definitur secundo Physicorum, dicit enim: non correspondet omni passiuo naturaliter principium actiuum, quod sic sit natura, (hoc est quod sit natura, prout natura describitur secundo Physicorum) quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum. Ergo principium actiuum est natura, prout natura definitur secundo Physicorum. Probatur consequentia, quia alias non daret Scotus pro ratione, cur omni passiuo naturali, non corresponderet principium actiuum, quod esset natura definita à Philosopho, quod multa essent receptiua perfectionum, quorum non haberent principium intrinsecum actiuum: sed potius deberet dare pro ratione, quod principium actiuum non sit natura sic.

Responderetur, de mente Scoti clarè patere ex locis citatis pro conclusione; unde Maltius ipse faceret ipsum magis inclinare in nostram conclusionem, quam in oppositum.

Ad locum autem iam oppositum negatur consequentia cum sua probatione, quia sufficiebat Scoto ostendere ex quocumque capite, quod principium intrinsecum actiuum,

quod esset natura sic definita, non posset correspondere cuiusque passiuo naturaliter, nec erat necesse, quod ostenderet id, ex quocumque capite posset ostendi; imo melius id ostendit per hoc, quod non inesset principium actiuum intrinsecum omni illi, quod est receptiuum perfectionis, quam per hoc quod principium actiuum non esset natura, quia de hoc controuerti poterat, ut de facto controuertitur, de illo autem nullo modo: vniuersaliter autem melius soluitur vna difficultas sine dependentia à controuersia particulari, si potest solui, quam cum dependentia.

Quæres, cur Philosophus voluerit definire solum principium passiuum motus, non verò actiuum.

Respondeo, quia voluit solum considerare motum naturalem ut distinguitur à motu violento & neutro, & quia voluit agere de corpore, ut mobili, & non ut motiuo.

Cur definiuit Philosophus solum principium passiuum.

QVÆSTIO III.

Quibusnam conueniat ratio Naturæ.

17. *Quamuis* ex dictis vtraque questione precedenti, non sit difficile colligere huius questionis resolutionem, tamen maioris claritatis gratia, hic distinctius decidenda videbatur.

CONCLUSIO I.

Materia prima est natura secundum quod describitur à Philosopho. Hæc est communis cum Scoto 2. d. 15. & D. Thoma super secundum Physicorum capite secundo, quos sui & recentiores fere omnes sequuntur contra Valles contr. 11.

Materia prima est natura.

Probatur primo autoritate Philosophi eodem capite tex. 10. & 11. ubi expresse asserit materiam esse naturam.

Probatur secundo ratione, quia ipsi conuenit tota definitio naturæ supra posita: est enim principium motus & quietis eius, in quo est primo, per se, & non per accidens, est enim primo per se & non per accidens in composito substantiali, & propter inclinationem suam ad formam substantialem est principium physicum, cur motus generationis substantialis, quo dicitur moueri passiuè compositum generatum, in quo est, sit naturalis & non violentus, nec neuter.

Dices: Ille motus generationis non est subiectiue in composito, sed in materia prima: ergo materia non est principium motus naturalis vltius, qui est in composito, cui inest ipsa materia: sed requiritur ad naturam, quod sit principium talis motus: ergo materia non est natura prout natura describitur à Philosopho.

18. *Respondeo* (quidquid sit de antecedenti, de quo alias) distinguendo consequens, qui est in composito subiectiue, transeat consequentia: qui est in eo denominatiue, nego consequentiam, & similiter distingo subsumtum: sed requiritur ad naturam, quod sit principium motus, qui est subiectiue in composito, nego subsumptum ex suppositione antecedentis: qui est in ipsa denominatiue vel subiectiue, concedo subsumptum, & nego consequentiam, quia motus ille generationis, cuius materia est principium, si non sit subiectiue in composito, certum est quod sit in illo denominatiue, nam denominatur ab eo compositum generari & generatum, ut est euidens, & in omni sententia multa denominantur à formis, quæ non sunt in ipsis subiectiue. Sic enim in sententia eorum, qui subiectant quantitatem in materia prima, substantia composita & forma substantialis denominantur quanta à quantitate quæ in ipsis non subiectatur, & in omni sententia qualitates sic denominantur ab eadem, cum tamen in ipsa non subiectantur.

Adde ad hæc pro vltiori probatione conclusionis, & solutionis huius replicæ, materiam etiam esse principium physicum partiale, cur aliquis motus subiectatus etiam in composito sit naturalis: nam motus, quo subiectiue mouetur oculus ad visionem, habet etiam esse naturalis à materia ex eo, quod materia etiam inclinatur ad illum motum, nam si non inclinaretur, sed ab horreret ab illo, profecto

Obiectio quinta.

perfecto esset motus violentus non minus quam motus quo mouetur compositum ad formam, à qua abhorret ipsius forma, est motus violentus, verbi gratia motus aquæ ad calorem.

19. *Obiicies primo* aliquas auctoritates Philosophi in specie videndas apud *Auerfam & Mastrum*, quibus videtur significare, quod materia non sit natura. Sed cum clare teneat oppositum loco citato pro conclusione, explicandus est cum communi, & dicendum quod solum velit materiam non esse tam perfecte naturam, quam forma; aut quod non sit natura, prout natura capitur pro principio actiuo determinato ad particulares actiones: quod potest esse verum quamuis esset proprie natura, prout natura describitur supra ut patet.

Obiicies secundo: quod est in potentia ad naturam non est natura: materia est in potentia ad naturam, nempe ad formam, ergo non est natura.

Respondetur negando maiorem: sicut enim vnum principium ex tribus principiis rerum potest esse subiectum alterius: ita vna natura potest esse subiectum alterius, & consequenter in potentia ad illam recipiendam.

20. *Obiicies tertio*: quod demonstratur esse, non est natura, sed materia demonstratur esse: ergo non est natura.

Respondetur primo, hoc argumento æque probari, quod forma non esset natura contra aduersarios, quia tam demonstrabilis est forma quam materia, imo vix vnum ex ipsis demonstrari potest absque altero. Vnde

Respondetur secundo negando maiorem, aut potius illam distinguendo: quod demonstratur à priori, concedo, quia nihil prius competit rei, quam ipsamet natura, vnde non habetur medium à priori, per quod demonstrari possit, & in hoc sensu solo naturam dari est indemonstrabile: quod demonstratur à posteriori, non est natura, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: materia demonstratur esse à priori, nego, à posteriori, concedo, & nego consequentiam.

Obiicies quarto Materia non est causa motus: ergo non est natura. Probatur antecedens, quia si esset causa, maxime esset causa materialis: sed non est causa materialis, quia non est subiectum motus: motus enim cum sit accidens, subieciatur in composito & non in materia.

Respondetur negando antecedens, cuius oppositum patet ex fundamento nostre conclusionis: ad probationem nego minorem, & ad probationem dico primo, quod materia sit subiectum mutationis, per quam mutatur ad formam substantialem: nec refert quod illa mutatio sit accidens, quia aliqua accidentia respectu immediate subieciuntur in materia prima.

Dico secundo, quod principium materiale motus non debeat esse subiectum istius motus; sed sufficit quod sit ratio, cur compositum moueatur naturaliter tali motu; sicut nec principium actiuum debet esse principium quod motus secundum aduersarios, sed sufficit quod sit principium quo, hoc est, ratio physica, ob quam conuenit composito habere talem motum determinatum, qui sit secundum suam inclinationem.

21. *Obiicies quinto*. Vnius rei vnica est natura: ergo cum forma sit natura, materia non potest esse natura: alias compositum non vniam tantum, sed duas haberet naturas.

Confirmatur, quia nomen naturæ significat perfectionem: ergo non conuenit materia, quæ est ens imperfectissimum.

Respondetur, distinguendo antecedens: vnius rei vna est natura physica, præsertim si res sit physice composita, nego antecedens: vna est natura metaphysica, quatenus natura conuenit cum essentia rei, concedo antecedens, & nego consequentiam; nec est inconueniens, quod compositum physicum, sicut habet duas partes physicas, ac duo principia prima physica in facto esse, habeat etiam duas naturas physicas, secundum quod descripsit Philosophus naturam.

Ad confirmationem nego consequentiam, quia materia non est tam imperfecta, quin perfectio naturæ ut sic, quatenus descripta est à Philosopho, conueniat ipsi.

22. *Forma physica, etiam anima rationalis, qua rationalis, & quatenus est principium intellectionum & volitionum, est natura, quatenus natura descripta est à Philosopho.* Hæc etiam est communissima cum Authoribus præcedentis Conclusionis contra *Simplicium* in proemio de anima, *Albertum magnum* 2. *Physicorum* capite primo, *Andream Cuspinum* lib. 3. *quæstionum Peripateticarum quæstione prima*, putantes animam non esse naturam.

Forma physica est naturæ etiam anima rationalis

*Probat*ur Conclusio tum auctoritate Philosophi 2. *Physicorum* c. 1. ubi absolute ait formam ut sic, nulla excepta, esse naturam: tum quia cuiuslibet formæ, etiam animæ rationali, conuenit esse principium motus naturalis compositi, in quo inest: nam forma ignis est principium, cur motus ignis ad calorem sit ipsi potius naturalis, quam motus ad frigus; & forma aquæ est principium, cur frigidatio sit ipsi potius naturalis, quam calefactio; & anima vegetatiua est ratio, cur nutritio & accretio conueniat naturaliter plantis potius quam aquæ; & anima sensitiua in bratis est ratio, cur conueniat ipsis naturaliter & nutritio & augmentatio, & etiam operationes sensitiuæ; & denique anima rationalis in homine est ratio, cur conueniat ipsi & nutritio & augmentatio & operationes etiam sensitiuæ; neque enim solummodo est principium operationum spiritualium intellectus & voluntatis: suppono enim ex dicendis in libris de anima, non esse aliam in homine animam præter rationalem.

Deinde, etiam homo mouetur naturaliter motibus intellectionis & volitionis & habet inclinationem ad illas, illæque sunt, pro hoc statu saltem, dependentes à corpore; & anima, ut rationalis, est principium quo, ratione cuius illi motus sunt ipsi naturales: ergo anima, etiam ut rationalis, est natura.

23. *Obiicies primo*. Natura debet esse principium passiuum, sed quamuis alia formæ substantiales habeant rationem principij passiuum; anima tamen non habet, sed rationem principij actiuum: ergo anima non est natura.

Respondetur negando minorem: & sane est eadem ratio quantum ad hoc de anima ac aliis formis: omnis autem forma, etiam anima, est principium, quo conueniant composito aliqui motus naturaliter, hæc est cum inclinatione; etiam si isti motus non proueniunt effectiue ab ipsamet forma aut anima; quod sufficit, ut habeant rationem principij passiuum respectu motuum illorum.

Obiicies secundo Natura est determinata ad vnum, sed anima non est determinata ad vnum, quandoquidem animalia variis motibus moueantur sursum, deorsum, circulariter, progressiue: ergo anima non est natura.

Respondetur distinguendo maiorem: ita ut vnus solus motus debeat competere naturæ, nec possit habere alios, nego maiorem: nam aqua à sua natura habet moueri naturaliter ad frigiditatem & humiditatem & ad ubi deorsum sub aëre; nec est assignabile vllum corpus naturale, quod non habeat plures motus sibi naturales ex natura suarum ut cuiusque composito constanti naturis, aliqui motus sunt naturales, non vero omnes, sed aliqui etiam sunt violenti, transeat maior; & concessa minori, nego consequentiam. Itaque illud axioma, quod natura sit determinata ad vnum, vel intelligitur de natura, non prout natura definitur à Philosopho, sed prout distinguitur natura ab agente libero, ita ut sensus sit, quod agens naturale non liberum ita determinetur ad vnum, quando debet applicari, ut non possit desistere ab actione, cuius oppositum conuenit agenti libero: & in hoc sensu axioma non facit ad propositum; vel intelligitur de natura, ut hic definitur, & tum sensus est, quem dixi, quod natura rationalis cuiuscumque compositi aut substantiæ sit determinata ita ad certos motus, ut alij motus ipsi sint violenti; & quamuis hoc sit verum, nihil inde inferitur contra conclusionem.

24. *Obiicies tertio*, ad probandum quod anima rationalis, saltem qua talis, reduplicatiue & secundum quod est principium operationum ac motuum solis hominibus conue-

conue

conuenientium, non sit natura. Omnis natura vel est subiectum, vel est in subiecto, ut patet ex diuisione naturæ, quam habet Philosophus capite primo huius libri: sed anima rationalis non est subiectum, nec in subiecto, cum creetur independentem à subiecto.

Con firmatur: quia forma, quæ est natura, debet educi à potentia materia, & nequit naturaliter conseruari absque materia: sed anima non educitur à potentia vilius subiecti, & conseruatur naturaliter absque omni subiecto.

Respondetur distinguendo maiorem: in subiecto cum dependentia ab ipso quoad esse, aut conseruari, nego maiorem: est in subiecto aliquando informando ipsum absque tali dependentia, concedo maiorem; & nego minorem, nimirum quod anima non sit taliter in subiecto, & ex hoc nego maiorem *Confirmationis*.

Obiicies quarto ad idem: anima rationalis ut rationalis præcise, & ut est principium operationum soli homini conuenientium, non est principium operationum aut motuum naturalium: ergo ut sic non est natura. Probatur antecedens quia non est principium ut sic aliarum operationum quam intellectus ac volitionis; sed hæc non sunt operationes naturales, id est physica, quia alias Angelus haberet operationes ac motus sic naturales, & consequenter esset considerationis physica, ergo ut sic non est natura.

25. Respondeo negando antecedens cum minori probationis: quia intellectus, & volitio, quas habet anima coniuncta, sunt operationes naturales ac physica, tum quia sunt operationes, quibus denominatur operari, & moueri substantia corporea, nam homo denominatur intelligere & velle: tum etiam quia licet secundum se sint spirituales, tamen habent adhuc dependentiam à phantasmatibus, quamdiu exercentur ab anima coniuncta, quod sufficit, ut dicantur materiales sufficienter ad hoc, ut sint considerationis physica; ex quo patet non esse idem de ipsis, ac de intellectibus ac volitionibus Angelicis dicendum, quia hæc nec aptæ natæ sunt denominare substantiam corpoream operantem aut motam, nec habent dependentiam à phantasmatibus quoad fieri, aut conseruari. Nec video qui circa hoc vltius possit controuerti, nisi reducendo rem ad quæstionem de nomine.

Aduerto autem non sufficienter probari à *Complutensibus* disput. 7. q. 5. m. 3. animam rationalem, quæ talem, esse naturam ex eo, quod sit forma informans materiam aut corpus organicum, & consequenter pars intrinseca hominis: nam quamuis esset talis, non esset natura, nisi conueniret ipsi esse principium motus, & quietis naturalis. Melius ergo id probant n. 3. r. ex eo, quod ut rationalis sit principium fletus, risus, admirationis, quæ sunt operationes corporeæ. Et hinc posset responderi ad vltimam hanc obiectionem alio modo negando antecedens, & maiorem probationis, quia ut sic, est principium, ut iam dictum est; admirationis, fletus, risus, &c.

CONCLUSIO III.

26. Ipsum totum compositum non est natura ut hic definitur natura, nec etiam forma totalis metaphysica eius quæ est ipsamet essentia eius in abstracto considerata, verbi gratia humanitas respectu hominis: bene tamen forma totalis substantia corporea completa, simplicis (si daretur talis) esset natura, ut hic d. finitur.

Prima pars est communissima, & patet quia tale compositum, præsertim si sit completum, non inest alicui, cui esset principium motus & quietis; natura autem ut hic definitur debet sic inesse alicui, ut patet ex ipsamet definitione.

Secunda pars est *Auerse* qu. 9. §. 6. *Amici* hic, & *Complutensium* disp. 7. num. 44. contra *Fuentem* hic q. 1. art. 8. & *Mastrinum* disp. 6. art. 1.

Probat primo auctoritate Philosophi hic c. 1. ubi cum præmisisset materiam esse naturam, ac etiam formam, dicit: quod autem ex his, natura quidem non est, sed à natura. Sed certum est non solum compositum in concreto metaphysico, verbi gratia lignum, sed etiam for-

mam totius seu naturam eius in abstracto metaphysico consideratam, nempe ligneitatem realiter componi, & fieri ex partibus non minus, quam ipsum lignum: ergo secundum Philosophum nec lignum, nec ligneitas, nec homo, nec humanitas est natura.

Probat secundo, quia reuera forma totius seu quidditas composita non est principium primum physicum motus, & quietis, quandoquidem præsupponat alia principia physica, ex quibus fit, nempe materiam, & formam; sed natura prout definitur à Philosopho, debet esse principium primum motus, & quietis, ut patet ex eius definitione: ergo non est natura.

Tertia pars non proponitur per se ab illo quod sciam, sed est conformis iis, quæ dixi in præmio; quia reuera illa substantia simplex completa esset considerationis physica, & haberet principium motus, & quietis naturalis ad accidentia sibi connaturalia: ergo deberet constare natura; quæcumque enim substantia habet motus naturales, & est considerationis physica, vel debet esse natura vel constare natura: sed illa substantia non esset natura, propter rationes primæ partis: ergo deberet constare natura: sed non constaret natura, quæ esset pars physica, ut materia aut forma, alioquin non esset simplex, & incomposita, ut supponitur, nec potest alia natura, qua constaret, assignari, præter formam totius seu quidditatem metaphysicam suam: ergo talis forma eius est natura.

Confirmatur, quia neque auctoritas, neque ratio secundæ partis impedit veritatem huius partis: non quidem auctoritas, quia illa quidditas non est composita ex naturis: non etiam ratio quia, illa est primum principium motus naturalis conuenientis tali substantiæ, quandoquidem non præsupponat aliud principium: ergo nihil impedit quo minus sit natura, prout natura est definita à Philosopho.

28. Obiicies primo contra secundam partem. In toto composito recipiuntur omnia accidentia absoluta, & sunt consequenter in illo motus naturales, quibus mouetur ad illa accidentia: ergo est principium passuum in se istorum motuum: sed hoc sufficit ut sit natura: ergo.

Respondeo distinguendo consequens: est principium passuum primum istorum, nego; secundum, transeat consequentia, & nego hoc sufficere ut sit natura. Quando vero *Scotus* vocat quidditatem compositi naturam eius, non loquitur de natura, prout hic definitur, sed in alio sensu ex multis, quibus accipitur nomen natura, ut patet ex dictis in initio huius disputationis: & per hoc patet ad omnia quæ contra hanc partem congerit *Mastrinus*.

Obiicies contra tertiam partem. Si quidditas talis substantiæ posset vocari natura, & primum principium motus competentis naturaliter ipsi, sequeretur quod materia prima non esset primum principium physicum motus; nec consequenter natura, sed potius quidditas ipsius natura dici deberet, sed hoc est contra primam conclusionem: ergo talis quidditas non est natura.

Respondeo, negando sequelam: cum enim materia prima insit physico corpori, & sit etiam ipsum principium physicum motus naturalis, bene vocari potest primum principium physicum: & licet possit abstrahi ab ipsa sua quidditas, tamen non est necesse ut fiat illa abstractio, ut intelligatur materia habere rationem naturæ; unde quidditas illa, & materia censenda sunt vna natura realis, & physica, quamuis ratione distinguantur. Ut autem consideretur corpus simplex habere naturam, quandoquidem non sit natura, ut concipitur in concreto, debet abstrahi ab ipso sua quidditas, & illa sic abstracta debet dici esse natura respectu ipsius; nec potest reduci ad aliquid aliud, quod sit natura, sicut quidditas materiæ reducitur ad ipsam materiam, quæ est natura secundum se considerata.

CONCLUSIO IV.

29. Nec priuatio nec accidens vllum, nec quidditas Angeli est natura, prout hic describitur natura. Hæc est communissima, & patet de priuatione, tum quia hæc non est causa motus; natura autem dicitur non solum princi-

Nec priuatio nec accidens vllum, nec quidditas Angeli est natura.

Compositum non est natura nec forma totalis metaphysica eius.

principium, sed causa motus; tum & præcipue quia priuatio per se non est causa, cur motus dicatur naturalis compositio aut rei motæ, nisi quatenus priuatio supponit inclinationem: unde si per impossibile esset priuatio formæ absque tali inclinatione, profecto motus ad talem formam non esset naturalis, & si posset esse motus subiecti inclinari ad formam absque priuatione, motus esset naturalis: ergo priuatio non est natura.

Probatur etiam de accidentibus, quia nullum accidens per se primo inest enti mobili, sed natura debet inesse per se primo tali enti: ergo nullum accidens est natura.

Probatur tertia pars de quidditate Angelis: quia non est principium motus corporei, quandoquidem Angelus tali motu non moueatur per se: sed in definitione naturæ hic definitæ intelligitur per motum motus corporeus, ut patet, tum ex communi interpretum sensu, tum etiam quia Philosophus egit de natura, quæ est considerationis physica, qualis non est quidditas Angelica, ut patet.

Obijces contra secundam partem. Quantitas Eucharistica mouetur naturaliter ad qualitates aliquas, & ad ubi deorsum, ut patet experientia: ergo habet principium talis motus, & consequenter naturam, quia natura est principium motus naturalis.

Respondeo negando antecedens: quantitas enim ex se est indifferens ad quaecumque qualitatem & quodcumque ubi, nec potest assignari ratio cur aliqua qualitas aut ubi esset ipsi perfectio: & quamuis experientia constet, quod moueatur deorsum quantitas Eucharistica, & quod videatur reducere se ad aliquas qualitates, quibus priuabatur, remotis impedimentis, tamen isti motus non debent adscribi ipsi quantitati per se, sed substantiæ, cui debeatur illa quantitas: quamuis enim illa substantia non existat atque adeo non possit realiter principiare illos motus, neque passive neque actiue, tamen Deus intuitu eius concurrat ad omnes motus, ad quos ipsamet concurreret ad cooperiendum mysterium Eucharisticæ: sicut supplet defectum materiæ ad generationes, quæ fiunt ex illis speciebus, quæ generationes alias succedere non possent ob defectum materiæ, ut patet.

CONCLUSIO VLTIMA.

31. Materia & forma conueniunt vniuoce in ratione naturæ tam bene, quam conueniunt ratione partis aut substantiæ incompletæ. Hæc conclusio hoc modo proposita vix negari potest, & videtur esse *Masrij disput. 6. a. 2.*

Probatur autem, quia utraque est principium passiuum motus naturalis, ut patet ex dictis, & ex hoc capite utraque est natura: ergo conueniunt vniuoce in ratione naturæ ut sic, tam bene quam conueniunt in ratione substantiæ incompletæ. Quod si forma esset principium actiuum motus naturalis, & materia passiuum; fortassis esset aliqua difficultas, quia posset aliquis dubitare, an possit ratio principij motus, prout competit naturæ præcisè, abstrahi à materia & forma; at cum utrumque sit principium passiuum & fortassis etiam actiuum motus, ut supra insinuaui, tollitur hæc difficultas.

32. Dices: materia & forma sunt primo diuersa: ergo non conueniunt in aliquo vniuoce conceptu.

Respondeo hanc difficultatem non esse contra conclusionem, prout hic proposita est, quia si non obstante illa diuersitate possunt conuenire in ratione substantiæ incompletæ, possunt etiam conuenire in ratione naturæ: quod si illa diuersitas impediatur, quo minus conueniant vniuoce in ratione substantiæ incompletæ, transeat quod etiam impediatur, quo minus conueniant vniuoce in ratione naturæ; nec in conclusione diximus absolute, quod conueniant in ratione naturæ vniuoce, sed tam bene quàm in ratione substantiæ incompletæ: absolute autem loquendo dicendum puto, quod conueniant in ratione substantiæ incompletæ vniuoce, & consequenter in ratione naturæ, quia nihil prorsus impedit quo minus quemadmodum ex substantiis completis pluribus potest abstrahi vna ratio vniuoce substantiæ completæ ut sic; ita etiam ex substantiis incompletis pluribus possit abstrahi vna ratio vniuoce substantiæ

incompletæ ut sic: & sane sic supponitur communiter quod ab omnibus animabus abstrahatur ratio animæ ut sic, licet omnes animæ sint substantiæ incompletæ: nec refert quod forma, & materia sint magis diuersa quam plures animæ, quia hoc non obstante posset ab ipsis abstrahi aliqua ratio communis.

Nec refert etiam *Scotum* dicere in 2. d. 12. q. 1. num. 26. quod materia & forma sint primo diuersa: quia, ut bene ibidem aduertit Scholasticus, non vult quod per hoc non conueniant vniuoce in aliquo conceptu positivo, quandoquidem ipsummet ens de eis dicitur in quid; sed solum vult, quod nihil materiæ, qua materia est reduplicatiue, includatur in forma, & nihil formæ, qua forma est reduplicatiue, sit de conceptu materiæ, quod verissimum est; nec aliud probat ratio Scoti ibidem, ut videre est ex ipso textu.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quomodo distinguitur Natura ab arte, & an ars possit efficere opera naturæ.

33. Per artem aut intelligitur hic facultas illa industria acquisibilis, qua mediante quis est facilis ad aliqua facienda mediante cognitione cum maiori dexteritate quàm alias fecisset, ut ars saltandi, & sonandi; aut forma quæ inducitur per huiusmodi facultatem, ut dispositio illa corporis, à qua habet esse rotundum, aut quadratum.

CONCLUSIO I.

Ars distinguitur à Natura per hoc quod natura per se primo inest compositio, aut substantia mobili; ars vero non nisi per accidens; & per hoc etiam quod motus substantia mobilis dicatur ipsi naturalis, & secundum inclinationem à natura, non vero ab arte. Hæc est communis, & patet prima pars: quia reuera natura inest per se primo tali composito ac substantiæ, ut patet ex definitione; ars vero non inest per se primo rei, quæ mouetur, neque etiam quæ mouet, cum sit accidens eius.

Patet etiam secunda pars, quia à natura sine dubio habet motus, quod sit naturalis mobili, ut patet ex dictis; sed motus non habet esse naturalis, ut provenit ab arte; tum quia motus proveniens ab arte posset esse contra naturam mobilis, tum quia si sit secundum inclinationem in mobilis, esset talis quamuis non proveniret ab arte. Est etiam alia differentia inter naturam, & artem, quod motus non proveniat ab arte quoad substantiam, sed solum quoad modum: nam saltatio hæc illac, sursum, deorsum, quantum ad substantiam posset haberi absque arte, per artem autem habetur illa saltatio cum quodam ordine, & facilitate; sed à natura provenit motus quoad substantiam.

CONCLUSIO II.

34. Ars non potest efficere opera naturæ, nisi quatenus posset ostendere, quomodo actiua naturalia possent applicari passivis naturalibus. Hæc est etiam communis, & patet quia vel ars consistit in cognitione, quam habemus de modo faciendi aliquas res naturales, siue habitali siue actuali, vel in facilitate applicandi iuxta cognitionem res illas naturales, ex quibus alia res fiunt, vel in dispositione aliqua corporum, ratione cuius fieret, ut sequerentur res naturales, quæ alias non sequerentur: sed quocumque ex his modis capiatur, non potest facere opera naturæ, nisi applicando actiua passivis: ergo, &c. Probatur minor, quia si capiatur pro cognitione, certum est, quod non faciat nisi directivè, & quod directio illa vertetur circa res, quæ ex natura sua, si applicentur, habent virtutem producendi illas res quæ fiunt. Si autem capiatur pro facilitate applicandi res illas, ex quibus alia res fiunt; illa facilitas non facit illas res, nisi per modum principij applicantis, & res applicatæ sunt, quæ ex natura sua faciunt illas alias res, unde, si sic applicarentur absque arte, facerent illas res. Si capiatur etiam tertio modo pro dispositione illa corporum, illa non potest habere aliam causalitatem, quam applicatiuam ac dispositivam; & res ipsæ quæ

Quomodo materia, & forma sint primo diuersa.

Quomodo distinguitur à natura.

Quomodo ars potest efficere opera naturæ.

quæ sic disponuntur, & applicantur, ex natura sua faciunt illas res supposita illa dispositione ac applicatione, tanquam conditione sine qua non. Quod vero ars per modum conditionis applicantis faciat res naturales, quæ est secunda pars conclusionis, patet quotidiana experientia rerum quæ fiunt per artem chymicam.

35. *Obiicies* contra hoc: Ægyptij sapientes per artem magicam faciebant serpentes, ut habetur *Exodi* 7. & statua Dædali fiebant tali arte, ut ambulant hac illac, & columba quædam ab Archita facta ambulabat.

Respondetur. Sapientes illos non potuisse facere serpentes viis arte alio modo, quam applicando actiua naturalia passiuis naturalibus: facile autem erat Dæmonibus talia actiua, & passiuia subitanè adducere, petentibus id illis sapientibus, ex quibus cito generarentur illi serpentes, & poterant etiam ijdem Dæmones serpentes aliunde generatos subito ed adducere tam inuisibiliter, & dextre, ut apparere posset eos à Magis generatos, quamuis reuera non generarentur ab ipsis: & poterant etiam non minus facile ipsorum opera facere, ut statua illæ discurrerent, & columba volaret, quod si ita fieret, experientia illæ non essent ad rem.

36. *Obiicies* secundo. Aurum fit arte chymica: ergo ars facit opera naturæ.

Respondeo, si antecedens esset verum, negando consequentiam, quia non producitur aurum illa arte, nisi applicando actiua naturalia passiuis naturalibus, ut patet ex determinatis rebus, quas Chymici solent applicare, & sine quibus nec ipsi se aurum facere posse. Quod si queratur de veritate ipsius antecedentis, an scilicet reuera per artem chymicam fieri possit aurum?

Respondeo primo, mihi non apparere ullam rationem, propter quam non posset fieri verum aurum ministerio icuius artis, quæ ostenderet, quæ actiua quibus passiuis applicari deberent, vrid fieret: nec magis difficile videtur aurum sic facere, quam multa alia, quæ compertum est per artem fieri: & speciatim non magis difficile videtur aurum facere ex aliis corporibus applicatis aliquo determinato modo, quam ex seta equina generari vermem, quod fieri quotidiana compertum est experientia; aut ex baculo aliquibus aquis immerso fieri ferrum, quod in Hibernia nostra contingere plures grauissimi testantur Historici.

37. *Respondeo tamen secundo*, mihi videri, quod per artem chymicam, quæ de facto habetur, absque saltem aliqua maiori perfectione non possit fieri aurum verum, atque ideo illos, qui eo fine in ea laborant, oleum perdere & operam. Moueor ad hoc, quia non apparet mihi verisimile, quod ars aliqua sufficiat ad aliquid præstandum, quam plures doctissimi, & ditissimi homines multis annis, summo labore, magnis expensis, & incredibili attentione ac diligentia exercuerunt, nec tamen consecuti sunt intentum: sed ita est de arte chymica: ergo non sufficit absque aliqua alia maiori perfectione. Nec credendum est illis, qui dicunt fuisse huius artis adminiculo factum verum aurum: tum quia id non refertur à talibus, quibus fides in re tali est adhibenda, tum quia Ecclesia in extrauag. *spondent*, vsum huius artis prohibet, & ne aurum vllum beneficio eius factum vendatur præcipit, obligans vendentes ad restitutionem. Non est autem verisimile, quod hoc faceret si putaret, verum aurum beneficio eius factum fuisse; & quamquam posset prohibere vsum eius, non obstante, quod aliquando per eam factum fuisset aurum; quia posset fieri magnus abusus in eius exercitio, qui præponderaret emolumento auri; tamen non deberet obligare absolute ad restitutionem, quia si verum esset aurum, non curreter, nec utilis esset illa obligatio, modo adhibitis omnibus diligentis compertum esset, quod reuera esset verum aurum. Nisi forte diceretur, quod obligaret ad restitutionem, ut deterreret homines, quos facile lucri cupiditas ad huiusmodi studium impelleret, ab exercitio artis quæ plus adferret Reip. detrimenti, quam emolumentum.

An aurum
possit fieri
arte chy-
mica.

DISPUTATIO VIII.

DE CAUSIS UT SIC, ET
DE CAUSA MATERIALI & FORMALI.

Antequam de causis in particulari agamus, præmittenda sunt aliqua de illis in communi, quæ ad notitiam illarum in particulari conducere poterunt: & quia pauca præter dicta libro primo de materia & forma, dicenda sunt de causa materiali & formali, ad vitandam disputationum multiplicationem, in hac eadem disputatione illa tractanda videbantur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Causa ut sic?

1. **N**on agitur hic de causa, neque in acceptione largiori, in qua comprehendit etiam priuationem, quam supra vocauit Philosophus principium & causam rerum naturalium; neque in acceptione strictiori, in qua solum comprehendit causas, quæ verè efficiunt; sed in acceptione media, qua comprehendit quatuor vulgaria causarum genera, materiam scilicet, formam, efficientem, finem. In qua acceptione non vno modo ab omnibus describitur, & alteri alterius displicet descriptio, cum tamen in re ipsa fere quolibet ad eundem sensum reduci possit, & æque approbati vel improbati, vt ex dicendis patebit.

Rursum & alij recentiores explicant Causam ut sic esse principium per se influens in effectum. Dicitur principium, quia in hoc, tanquam in genere, conuenit cum priuatione, quæ est principium corporis naturalis; puncto, quod est principium lineæ; instanti, quod est principium temporis. Dicitur influens, vt distinguatur ab illis aliis principiis, quæ non influunt in rem illam, respectu cuius dicuntur principium. Dicitur in effectum, vt distinguatur à Patre æterno, qui est principium influens in Filium æternum, sed non in effectum, quia Filius non est effectus eius.

Hanc impugnant Complutenses, quia non ponitur aliquid in hac definitione, per quod probetur quod Pater æternus non influat in Filium, tanquam in effectum, deberet autem aliquid tale poni. Verum hæc impugnatio non sufficit; negari enim deberet minor: satis enim ex perfectione infinita Filij æterni constat, quod non possit esse effectus; quia per effectum omnes intelligunt aliquid dicens imperfectam dependentiam, vnde non erat necessesse, vt ex hac definitione probaretur, quod non esset effectus; sed quantum ad hoc abunde sufficiebat, quod aliquid poneretur in hac definitione, per quod constaret, quod Pater æternus non esset causa, vt hic agimus de causis; ponitur autem aliquid tale, nimirum ly effectus.

2. *Melius impugnatur hæc descriptio*: quia licet reuera causa influat in effectum, & per hoc distinguatur ab aliis principiis, quæ non sunt causa; tamen si quis ignoraret naturam causæ, per hanc definitionem non posset deduci in cognitionem eius; quia non posset intelligere hanc descriptionem, nisi intelligeret quid sit effectus, vt patet: sed nõ posset intelligere, quid sit effectus formaliter (sic enim loquor de effectu) nisi intelligeret quid sit causa, & sic prius deberet, vel saltem æque primo cognoscere quid sit causa, quam cognoscere sensum huius descriptionis; vnde per hanc non deduceretur in cognitionem causæ.

Confirmatur hoc: quia vniuersaliter male describitur vnum correlatiuum per ordinem ad alterum, formaliter loquendo; quia in tali descriptione semper interuenit circulus, vt patet ex dictis in Logica pluribus locis: & sane ridiculum satis esset declarare alicui naturam Patris formaliter, dicendo, quod est id quod habet Filium formaliter. Quod si in hac descriptione non ponatur effectus formaliter, sed fundamentaliter, tum potest reduci ad sensum sequentis descriptionis.

Varie ex-
plicatio-
nes causæ.

Prima des-
criptio.

Impugna-
tio Com-
pluten-
sium rei-
citur.